

*Doc. 1 (Anno ab incarnatione
domini nostri Ihesu Christi millesimo
ducentesimo sexagesimo septimo...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 1 (Anno ab incarnatione
domini nostri Ihesu Christi millesimo
ducentesimo sexagesimo septimo...)*

1267-02-24

Anno ab incarnatione Domini nostri Ihesu Christi millesimo ducentesimo sexagesimo septimo. Regnante domino nostro Karolo, Dei gratia illustrissimo rege Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Andegavie, Provintie et Forcalquerii comite anno secundo, mense februarii vicesimo quarto die eiusdem decime indictionis apud Tranum.

Nos Sammarus Trani regalis iudex, Leucius eiusdem terre publicus notarius et testes subscripti licterati de eadem terra ad hoc specialiter convocati et rogati, presenti scripto fatemur, quod Nicolaus Freczarius de Venusio veniens coram nobis, ostendit nobis subscripta duo sacra mandata domini nostri regis Karoli nec non et quasdam alias licteras Manfredi Malecti olim dicti comitis, petens a nobis ipsa autenticari et in publicam redigi scripturam. Nos autem qui supra iudex videntes mandata ipsa autentica in prima sui figura existentia et capentia omni vitio et litura, munita etiam sigillo sacre regie maiestatis impresso in cera rubea, nec non et predictas licteras similiter in prima sui figura existentes, carentes omni vitio et litura, munitas etiam sigillo predicti Manfredi Malecti similiter impresso in cera rubea, ipsa autenticari mandavimus et in publicam redigi formam per manus predicti Leucii publici Trani notarii, quorum mandatorum regalium continentia talis est. Karolus Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, alme urbis senator Andegavie Provintie et Forcalquerii comes, Nicolao Freczario de Venusio fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Volentes te preesse officio custodie palacii et defensarum nostrarum sancti Gervasii, sicut hactenus profuisti, ipsum officium per te pro parte

nostre celsitudinis exerceri quousque in ipso officio
 alium duxerimus disponendum, fidelitati tue precipiendo
 mandamus, quatenus in eisdem palacio et defensis
 eam curam gerere studeas, ut tua solitudine mediante
 nichil ex eis depereat set ad opus curie fideliter et
 utiliter conserventur, ex quo recipient a quibuscumque
 occupatoribus et detentoribus..... distractum ad quod
 occupatores et detentores predictos..... districtione
 compellas, et sic in ipso officio te geras sollicitum
 et actentum, quatenus curia nostra ullatenus non
 ledatur, predictum vero palacium taliter studeas reparare
 in stratis vel locis suis reparatione indigentibus.....
 celsitudo. Datum Trani secundo aprilis none Ind.
 Regni nostri anno primo Karolus Dei gratia rex
 Sicilie etc. Proventie et Forcalquerii comes, Arnulfo de
 Vitino et Nicolao Freczario de Venusio fidelibus suis
 gratiam suam et bonam voluntatem..... esse custodiam
 palatii nostri sancti Gervasii et defensarum ipsarum
 partium fidelitati vestre mandamus, quatenus palatium
 et defensas ipsas..... quamdiu consueverunt in antea
 ad honorem et fidelitatem nostri culminis custodire
 curetis et in earum custodia cum omni diligentia
 intendatis. Datum apud Lacumpensilem quintodecimo
 aprilis none indictionis Regni nostri anno primo.
 Manfredus Malecta Dei et regia gratia Miney et frequenti
 Comes Montanee, montis sancti Angeli dominus et
 Magnus regni Sicilie Camerarius. Nicolao de Venusio
 domini Regis vallecto dilecto familiari suo salutem et
 dilectionem sinceram. Cum tibi de cuius fide prudentia
 et legalitate regia celsitudo plene confidit, et quem
 semper in regiis et nostris servitiis paratum invenimus
 et devotum, custodiam palatii regii et defensarum
 omnium sancti Gervasii que custodiuntur ad presens per

Guillelmum de Corneto familiarem nostrum, de regio beneplacito duxerimus committendam, ut et defensas easdem diligenter et sollicite iuxta votum regium debeas custodire, devotioni tue mandamus quatenus ad palacium predictum te personaliter conferens ipsum palacium et defensas a predicto Guillelmo, cui de ipsis tibi assignandis nostre lictere diriguntur, recipere non obmictas. In quorum custodia sic te prebeas sollicitum et attenctum, quod semper commendationis apud excellentiam regiam invenias tibi locum, et de diligentia more solito commendanda occurras. Volumus etiam ut pro diligentiori custodia ipsius palacii et defensarum habeas tecum frusterii (sic) equites quatuordecim et pedites octo datum apud Ortam vicesimonono septembris none indictionis, predicta vero mandata ego predictus Leucius de mandato predicti iudicis autenticavi et in hanc puplicam scripturam redegī ad petitionem dicti Nicolai Freczarii et cautelam nobilis viri domini Nicolai Friczie regii secreti Apulie, nichil inde addito vel diminuto.

Sigillo et subscriptione nostra qua supra indicis et nostrum infrascriptorum testium subscriptione roborata. † Sammarus qui supra regius Trani iudex. Nicolaus puplicus Trani notarius. † Ego Rogerius Trani notarius. Ego Iohannes fili Nicolai peregrino.

Datum apud Ortam vicesimonono septembris none indictionis, predicta vero mandata ego predictus Leucius de mandato predicti Iudicis autenticavi et in hanc publicam scripturam.